

# Antoni Słomkowski

---

## Doctrina semiarianorum de circuminsessione personarum ss. Trinitatis

---

Collectanea Theologica 16/1, 95-103

---

1935

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## DOCTRINA SEMIARIANORUM DE CIRCUMIN- SESSIONE PERSONARUM SS. TRINITATIS.

Doctrina de SS. Trinitate iam saeculo III in Ecclesia occidentali definita est. Et Tixeront, scribens de doctrina trinitaria auctorum latinorum huius temporis, concludere potest: „Tertullien a donc touché au consubstantiel proprement dit et en a trouvé la formule dernière: „tres personae, una substantia“, celle qui restera la formule de l'Eglise latine. Tel qu'il est et malgré les obscurités qui s'y trahissent, son exposé trinitaire, surtout corrigé par Novatien, réalisait sur ce qui l'avait précédé un progrès considérable. La foi de l'Eglise y recevait une expression juste et définitive“<sup>1)</sup>.

Aliter res se habebant in Ecclesia orientali, ubi formula *μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις*, qua exprimitur unitas substantiae et trinitas personarum non nisi apud Patres Cappadocios bene circumscripta et definita est. Bene notae sunt difficultates, quas vinci oportebat, ut dogma, in primo concilio Nicaeno definitum, agnosceretur. Non est etiam, qui ignoret Patres Cappadocios doctrinam a s. Athanasio defensam et in supra dicto concilio definitam profiteri voluisse.

Oritur tamen quaestio, an revera hi Patres eandem doctrinam profiteantur ac s. Athanasius et concilium Nicaenum et an s. Athanasius semper eandem doctrinam defenderit<sup>2)</sup>. Sunt enim qui affirmant non s. Athanasium et s. Basilium Caesareensem patres esse doctrinae officialis de SS. Trinitate, quam profitentur Ecclesiae, sed Basilium Ancyranum, caput semiarianorum. Hanc

---

<sup>1)</sup> J. Tixeront, Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne<sup>6</sup>, t. I. Paris, 1915, p. 402—403.

<sup>2)</sup> Vide G. Rasneur, L'homoiouianisme dans ses rapports avec l'orthodoxie, in Revue d'histoire ecclésiastique, t. IV, 1903, p. 411—431.

sententiam, a Harnack<sup>3)</sup> formulatam, suam fecerunt etiam Gummerus<sup>4)</sup> et Loofs<sup>5)</sup>.

In efformando iudicio de valore huius sententiae multum nos iuvabit investigatio, quidnam semiariani de unitate numerica substantiae personarum SS. Trinitatis et de earum circuminsessione docuerint. Patres enim Cappadocii profitentur unitatem numericam substantiae SS. Trinitatis et hoc exprimunt docendo circuminsessionem, si non verbo περιχώρησις saltem re<sup>6)</sup>). Ipsum enim verbum περιχώρησις non nisi multo post adhibitum fuisse videtur ad designandum hunc conceptum.

„Circuminsessio“, „permeatio“, „circumpermeatio“, graece περιχώρησις, ἐμπεριχώρησις, ἐνόπαρξις, ut bene notum est, designat compenetrationem mutuam personarum SS. Trinitatis, qua fit ut singulae personae in se invicem resideant, quippe quod habent eandem substantiam<sup>7)</sup>.

Quaestio dependentiae Patrum Cappadaciorum a semiarianis sat facile solvi posset, si exstarent omnia documenta, in quibus hi suam doctrinam de SS. Trinitate exponunt. Attamen ex documentis scriptis post quam haec haeresis constituta est, habemus solummodo aliquas epistolas et formulas synodales et praeterea aliquas attestaciones contemporaneorum de eorum doctrina, quae tamen in nostra quaestione nihil afferunt.

<sup>3)</sup> A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte<sup>3</sup>, p. 250 ss.

<sup>4)</sup> J. Gummerus, Die homousianische Partei bis zum Tode des Konstantius, Leipzig, 1900, p. 2; 162; 169—172.

<sup>5)</sup> F. Loofs, art. Arianismus, in Realenz. f. prot. Theol. und Kirche<sup>3</sup>, t. II, p. 39—42.

idem art., Christologie, ibid. t. IV, p. 46.

idem, Leitfadenz zum Studium der Dogmengeschichte<sup>4</sup>, Halle a. S., 1906, p. 253; 259. Cf. Tixeront, op.-cit., t. II, p. 81—82.

<sup>6)</sup> Cfr. Tixeront, op. cit., t. II, p. 82, ubi textus horum Patrum hac de re citati sunt. — Cf. etiam R. Arnou, S. J., Unité numérique et unité de nature chez les Pères, après le Concile de Nicée, Gregorianum XV, 1934, p. 242—254. R. P. Arnou concludit: „Tous, il concluent à l'unité de principe, à la monarchie. C'est que la Monade ou l'Un est la nature divine, simple et indivisible, que possèdent également le Père, le Fils et le S. Esprit, mais qui reste identiquement la même en eux qui la possèdent“ (p. 252). „Une telle simplicité entraîne l'impossibilité d'être multipliée comme celle d'être divisée ou composée. L'unité de nature contient donc l'unité dite numérique et la dépasse“ (p. 253—254).

<sup>7)</sup> Vide A. Chollet, art. Circuminsession, in Vacant-Mangenot-Amann, Dict. de théol. cath., t. II, col. 2531.

Documenta, de semiarianorum doctrina tractantia, dividere possumus in directa i. e. ea, quae ab ipsis semiarianis scripta sunt, et indirecta, quae quidem de eorum activitate et doctrina tractant, attamen ab aliis conscripta sunt.

Documenta directa:

1. Epistola Georgii Laodicensis <sup>8)</sup>).
2. Formula fidei edita a. 358 a Basilio Ancyrano et sociis eius — tertia Sirmiensi <sup>9)</sup>).
3. Formula fidei edita Sirmii a. 359: quarta Sirmiensi <sup>10)</sup> — „formule datée“ — in qua est parva explicatio dogmatica Basilii Ancyrani <sup>11)</sup>).
4. Epistolae Basilii Ancyrani et sociorum <sup>12)</sup>).

Documenta indirecta nempe: relationem sensus formulae tertiae Sirmiensi a s. Hilario, dicta s. Athanasii, s. Epiphani, s. Hilarii, historiographorum Socratis et Sozomenis, epistolam imperatoris Constantii omittimus, quia de nostra quaestione nihil in eis invenimus.

Documenta supra enumerata proveniunt ex tempore, post quam pars semiariana antinicaenorum constituta est.

Quoniam semiariani orti sunt ex parte antinicaena et quoniam agnoscunt expresse aliquas formulas ab antinicaenis editas, etiam hae formulae fidei inspiciendae sunt ut documenta fidem eorum exprimentia.

Eos ortos esse ex antinicaenis ex hoc patet, quod invenimus in conciliis antinicaenorum duces eorum Basilium Ancyranum et Georgium Laodicensem et quidem Georgium in concilio Antiochiae celebrato a. 341 <sup>13)</sup> et Basilium in conciliis a. 343 Philippopoli <sup>14)</sup> et a. 351 Smirni <sup>15)</sup> habitis.

<sup>8)</sup> Sozom., Hist. eccles., IV, 13; P. G., t. 67, col. 1145.

<sup>9)</sup> Sozom., loc. cit. IV, 15; col. 1152. Haec est formula fidei subscripta a papa Liberio. — Cfr. E. A m a n n, art. Libère, in Dict. de théol. cath., t. IX, col. 643; H e f e l e - L e c l e r c q, Histoire des conciles, t. I, p. 908—928.

<sup>10)</sup> S. A t h a n a s., De synodis, 8; P. G., t. 26, col. 692—693. — Cf. H e f e l e - L e c l e r c q, Histoire des Conciles, t. I, p. 930—933.

<sup>11)</sup> S. E p i p h., Adversus haeres., 73, 22; P. G., t. 42, col. 444.

<sup>12)</sup> S. E p i p h., Adv. haeres., 73, 2—11; 12—22; P. G. 42, col. 404—444, nr. 2—11: Epistola synodalis synodi Ancyrae habitae, nr. 12—22, epistola Basilii Ancyrani, iustificantis formulam ὁμοίως κατ' ὁμοίαν.

<sup>13)</sup> S o c r a t., Hist. eccles., II, 9; P. G., t. 67, col. 197.

<sup>14)</sup> Corp. S. E. L., 65 p. 74 ed. Feder, Collectanea Antiariana Parisiens., ser. A. IV, 3.

<sup>15)</sup> S o c r a t., loc. cit. II, 29; col. 277.

Eos approbare formulas fidei antinicaenorum ex hoc evincitur, quod nonnullas ex his formulis subscripserunt et quod in sua epistola synodica expresse accipiunt saltem duas<sup>16)</sup>.

Ex formulis antinicaenorum huc pertinentibus habemus:

1. Quattuor formulas editas in concilio Antiochiae habito anno 341 (in „encaeniis“<sup>17)</sup>).

2. Formulam Sardicensem (Philippopolis) an. 343, identicam cum formula „quarta in encaeniis“<sup>18)</sup>).

3. Formulam, Macrostichos dictam, Antiochiae anno 344<sup>19)</sup>).

4. Formulam primam Sirmiensem, editam a. 351, quae identica est cum formula quarta in encaeniis.

Ex omnibus his documentis tria praecipue nobis examinanda sunt, quia in iis solummodo aliquid de nostra quaestione habemus: Formula Macrostichos anni 344, epistola synodica synodi Ancyranae, epistola Basilii Ancyrani. In reliquis documentis de nostra quaestione nihil habetur.

Tendentia et character doctrinae expressae in formulis ante annum 358 est sequens: evitare purum arianismum, evitare sabellianismum et errorem Marcelli Ancyrani et Photini Sirmiensis. Exprimitur ergo fides in generationem aeternam Filii ex Patre, excluditur temporalis eius creatio ex nihilo. Contra sententiam Sabellii insistitur in distinctionem hypostaticam singularum personarum SS. Trinitatis; contra Marcellum Ancyranum et Photinum dicitur Filium ab aeterno propriam subsistentiam habuisse neque eam habere solummodo propter Incarnationem, et regnum eius semper permansurum esse.

In formula II Antiochena anni 341 et prima Sirmiensi invenitur quidam subordinatianismus. Signum characteristicum omnium formularum est id, quod reicitur ὁμοούσιος ad designandam relationem Filii ad Patrem.

In documentis seminarianorum editis post annum 358 ut tendentia praecipua apparet iustificatio expressionis ὁμοιος κατ' ὀψίαν. Quod attinet ad Spiritum Sanctum, exprimitur in genere

<sup>16)</sup> Vide E p i p h., Adv. haeres., 73, 2; P. G., t. 42, col. 404—405.

<sup>17)</sup> S. A t h a n a s., De synodis, 22—25; P. G., t. 26, col. 720—728.

<sup>18)</sup> Vide X. L e B a c h e l e t, art. Arianisme, in Dict. de théol. catholique, t. I, col. 1814.

<sup>19)</sup> S. A t h a n a s., De synodis, 26; P. G., t. 26, col. 727—736; Cf. S o c r a t., op. cit., II, 19; col. 224—233; S o z o m., loc. cit., III, 11; col. 1060.

fides in eum, at relatio eius ad Patrem et Filium non designatur nisi uno loco, de quo sermo erit.

Quoad doctrinam de perichoresi inspicienda est imprimis formula Macrostichos, edita a. 344, quae missa est ad Occidentales, qui accipere eam noluerunt, dicentes se contentos esse formula Nicaena<sup>20)</sup>. Formula Macrostichos ea est, quae inter omnes formulas antinicaenorum exprimit doctrinam plurimum affinem symbolo Nicaeno, cuius causa erat probabiliter intentio inducendi Occidentales ad eam accipiendam.

Componitur ex duabus partibus:

1. Ex positiva professione fidei, in qua reproducitur formula 4-ta Antiochena anni 341.

2. Ex anathematismis, in quibus exprimitur eadem fides ac in formulis anterioribus. Damnatur enim arianismus, sabellianismus, error Marcelli Ancyrani et Photini. Est ibi textus, qui exprimit unitatem existentem inter Filium et Patrem, quique praecipue nobis examinandus est, quippe quod quaedam circuminsessio Patris et Filii ibi expressa esse videtur. In illo anathematismo haec doctrina de unitate continetur.

Affirmando subsistentiam propriam Filii, de qua antea sermo erat, „minime docetur eius separatio a Patre, velut si essent quaedam spatia et intervalla inter eos“. Et sequitur textus exprimens positive unionem: Πεπιστευόμεν γὰρ ἀμεσιτέτως αὐτοὺς καὶ ἀδιαστάτως ἀλλήλοις ἐπισυνῆφθαι καὶ ἀχωρίστους ὑπάρχειν ἑαυτῶν. ὁλου<sup>21)</sup> μὲν τοῦ Πατρὸς ἐνστερνισμένου τὸν Υἱόν, ὁλου δὲ τοῦ Υἱοῦ ἐξηρημένου καὶ προσπεφυκότος τῷ Πατρὶ καὶ μόνου τοῖς πατρῷοις κόλποις ἀναπαυομένου διηλεκῶς<sup>22)</sup>. Id est: Credimus enim eos absque ullo medio (aut mediatore) ἀμεσιτέτως, et sine ullo interstitio ἀδιαστάτως coniunctos esse, nec a se invicem posse separari (aut separatos esse) καὶ ἀχωρίστους, ita ut totus Pater Filium in sinu suo complectatur et totus Filius a Patre pendeat, illi adhaerat, solusque in sinu Patris perpetuo conquiescat. Habemus ergo seriem ex-

<sup>20)</sup> S o z o m., Hist. eccles., III, 11; P. G., t. 67, col. 1060; cfr. S o c r a t., Hist. eccles. II, 20; P. G. t. 67, col. 233—236.

<sup>21)</sup> In textu reproducto apud S o c r a t., Hist. eccles. II, 19; col. 232, loco ὁλου legimus ὅλον; refertur ergo ad υἶον et non ad τοῦ πατρός. Melior videtur lectio ὅλου. Talis est etiam sententia Valesii, P. G., t. 67, col. 231: „Scribendum est omnino ὅλου, ut legitur apud Athanasium“.

<sup>22)</sup> A t h a n a s., De synodis, 26; P. G., t. 26, col. 733.

pressionum, quae omnes eo tendunt, ut intimam unionem inter Patrem et Filium expriment et quidem negative: excludendo omnem separationem, et positive: indicando modum huius unionis. Modus hic explicatur per analogiam ad naturam humanam. Utuntur enim verbo ἐνσπερνισμένου; hoc est praecipuum verbum in hoc textu; ἐνσπερνίζω designat: amplecti (pol. otaczać, obejmować; gallice: embrasser, presser sur son sein; germanice: umarmen). Pater ergo amplectitur Filium et Filius pendet a Patre et ei adhaeret ab eo inseparabilis. Secundum hanc imaginem Pater repraesentatur ut active se habens, Filius ut passive se habens. In verbis supra allatis exprimitur ergo intima unio Patris et Filii, at non exprimitur existentia unius in altero i. e. circuminsessio, nec invenitur ibi expressa unitas numerica substantia utriusque.

Examinandae nobis sunt etiam epistolae superius enumeratae, nempe epistola synodica synodi Ancyrae et epistola Basilii Ancyrae.

Ex textu epistolae synodicae, subscriptae a Basilio, Eustathio, Hyperechio et aliis<sup>23)</sup>, concludendum est eos doctrinam de SS. Trinitate a catholicis defensam agnoscere noluisse. Tota haec epistola, quam hic litteris mandare longius esset, id exprimit. Praesertim ea, quae sub finem epistolae dicuntur, id testantur<sup>24)</sup>; clare enim ostendunt notionem unius substantiae, quae tribus personis communis est, plene alienam fuisse a mentibus eorum. Reiciunt quidem semiariani sententiam eorum, qui Filium dissimilem Patris esse affirmant, attamen reiciunt etiam expresse consubstantialitatem Patris et Filii<sup>25)</sup>.

Verum est causam reiciendi ὁμοούσιος fuisse magna ex parte curam retinendi expressiones adhibitae ab auctoribus anterioribus et nihil affirmandi de relatione Filii ad Patrem, nisi quod S. Scriptura dicit. Equidem in sua epistola affirmant: „Illam nos fidem, quam ab apostolicis inde temporibus continuata ad patres nostros usque successione accepimus, velut patrimonium tueri ac defendere...“<sup>26)</sup>. Revera fidem suam exponentes semper ad expressiones a sacris auctoribus adhibitas recurrunt.

<sup>23)</sup> Epiph., Adv. haeres. 73, 11; P. G., t. 42, col. 426.

<sup>24)</sup> Ibid., nr. 9—11; col. 420—425.

<sup>25)</sup> Ibid., nr. 11; col. 424—425: Εἰ τις ἕξουσία καὶ οὐσία λέγων τὸν Πατέρα Πατέρα τοῦ Υἱοῦ, ὁμοούσιον δὲ ἢ ταυτοούσιον λέγοι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ, ἀνάθεμα ἔστω.

<sup>26)</sup> Ibid., 2, loc. cit., col. 406—407.

Cum autem a verbis S. Scripturae recedant et eius sensum suis verbis exprimant, ad exprimendam relationem Filii ad Patrem adhibent verba: similis secundum naturam — ὁμοίος κατ' οὐσίαν,— quae verba multoties repetunt. Ut ex eorum dictis patet, prae oculis habebant relationem existentem inter naturam filii humani et patris; dicunt enim: „Consentaneum est, ut ex Patris Filiique vocibus, quandoquidem in Patrem ac Filium credere praecipue didicimus, eandem, ut pios ac religiosos decet, notitiam hauriamus... sic in Patrem et Filium, corporeis omnibus amputatis, unica similis, quod ad essentiam attinet, animalis generatio transfertur“ — παραληφθήσεται μόνη ἢ ὁμοίου καί κατ' οὐσίαν ζώου γενεστουργία<sup>27)</sup>. A relatione patris ad filium, quae apud homines invenitur, abstrahere nesciunt et incapaces sunt profundioris intelligentiae mysterii SS. Trinitatis et, hanc analogiam ex hominibus sumptam prae oculis habentes, nimis separant Patrem a Filio et consubstantialitatem intelligere nescientes eam abiciunt.

Si textus S. Scripturae ab ipsis prolatos examini subicimus, videmus eos evitare unum textum tam magni momenti pro definienda relatione Filii ad Patrem, nempe: „Ego et Pater unum sumus“ (Joan. X. 30). Et iterum ac iterum repetunt<sup>28)</sup> se identitatem unius et alterius omnino non admittere. Et, ut ex eorum dictis conici potest, non intelligebant, quomodo distinctio et subsistentia personarum salvari posset in unitate substantiae. Et haec ignorantia naturae SS. Trinitatis, nempe trium personarum in unitate substantiae, causa erroris eorum erat. Videtur eos intelligere non potuisse, quomodo Filius a Patre quidem distinctus esse, sed solummodo sub quadam ratione, nempe ut persona ὑπόστασις, et tamen sub alio respectu idem cum Patre esse possit, nempe quod ad essentiam attinet<sup>29)</sup>. Identitas substantiae ergo ab eorum mente plene aliena erat, et per consequens affirmari minime potest Patres Cappadocios hanc identitatem affirmantes suam doctrinam a semiarianis hausisse.

<sup>27)</sup> Ibid., 3—4; loc. cit., col. 407—410. Cfr. ibid. 4, col. 409: ἡ ὁμοία κατ' οὐσίαν ζώου Πατρός...

<sup>28)</sup> Ibid., 10—11 loc. cit., col. 420—425.

<sup>29)</sup> Cfr. Definit. contra Albigenses conc. Lateran IV, Denz. 428: tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino. Haec Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua et secundum personales proprietates discreta.



Scopus epistolae Basili est iustificatio verbi „ὄβια“ in designanda similitudine inter Patrem et Filium. Basilius reicit etiam ἀγέννητος et γεννητός. Hanc denominationem declarat in Scriptura Sacra non inveniri et insuper insufficientem esse, quippe quod non exprimit paternitatem unius et filiationem alterius, sicut docet Scriptura. Econtra verbis „Pater“ et „Filius“ relatio haec exprimitur, quia una notio continet alteram. En verba ipsius epistolae: „Accedit quod ingenuus... nondum ipsam notionem Patris significat, neque genitus proprie Filium exprimit, sed ad omnia producta communiter pertinet. Quamobrem, cum Dei Filium ab aeterno intelligamus existere, illud ipsum nomen propterea nequaquam admittimus, quoniam Patris Filiique nomen ad aliud quiddam habitudinem significat. Unde licet Patrem solum nominemus, Filii quoque notionem Patris appellatione comprehensam una complectimur. Pater enim Filii Pater est. Ac licet solum nominemus Filium, Patris quoque notionem una comprehendimus, eo quod altero connexum est, neque mutuus ad sese invicem respectus dirimitur. Quare tametsi vel alterum pronuntietur, una et alterum intelligentiae nostrae subicit; nec illius modo nomen verum etiam una cum nomine naturae ipsius affinitatem demonstrat. Etenim cum Patrem animo concipimus Deum, Dei Patrem concipimus. Et Filium cum intelligimus Dei, Deum intelligimus, qui Dei Filius appellatur, quippe illius natura similis est, cuius intelligitur esse Filius“. Ἄλλὰ καὶ μόνον ἐκάτερον λεγόμενον συνεισάγει θατέρου τὴν ἔννοιαν, καὶ οὐ τὸ ὄνομα μόνον, ἀλλὰ μετὰ τοῦ ὀνόματος καὶ τῆς φύσεως τὴν οἰκειότητα. Πατέρα γὰρ νοοῦντες τὸν Θεόν, Θεοῦ νοοῦμεν Πατέρα καὶ Υἱὸν νοοῦντες Θεοῦ, Θεὸν νοοῦμεν τὸν ῥηθέντα Υἱὸν Θεοῦ, καὶ ὅμοιον ἐκείνῳ κατὰ τὴν φύσιν, οὗ καὶ νοεῖται Υἱός<sup>30</sup>).

Auctores declarant ergo, cur pro denominatione primae et secundae personae accipiant nomina „Pater“ et „Filius“ et non „ingenuus“ et „genitus“. Ratio ea est, quod notio Patris includit notionem Filii et e converso. Nihil ergo dicitur de quacumque circuminsessione, quia id, quod de mutua comprehensione utriusque in utroque dicunt, refertur non ad ordinem ontologicum, sed ad ordinem logicum.

In hac epistola loquitur Basilius de unitate existente in Trinitate. Affirmata prius subsistentia propria cuiusque personae et

<sup>30</sup>) E p i p h., Adv. haeres., 73, 19, P. G., t. 42, col. 437.

explicato modo processionis Filii et Spiritus Sancti, subsistentiam hanc non includere divisionem in Trinitate dicunt. Est enim una divinitas, unum regnum, unum imperium — *μία θεότης, μία βασιλεία, μία ἀρχή*. Haec unica divinitas operatur per Filium in Spiritu Sancto<sup>31)</sup>. Hic habemus ergo affirmationem claram de processionibus in Trinitate, de modo operandi ad extra, nihil tamen de existentia unius personae in altera i. e. de circuminsessione, quae includeret unitatem numericam substantiae SS. Trinitatis.

Ex comparatione, quam adhibent explicando similitudinem inter Patrem et Filium, apparet eos vix unitatem hanc admittere aut potius eam omnino non admittere. Ad explicandam enim similitudinem inter Patrem et Filium utuntur analogia; similitudo illa eadem est ac ea, quae est inter naturam humanam Christi et nostram naturam. Sicut enim Christus ut homo similis est reliquis hominibus at non idem cum eis, sic etiam ut Deus similis est Patri, attamen non est idem cum eo<sup>32)</sup>. Natura autem humana Christi et nostra, quamquam specificè eadem, tamen numerice minime est eadem; quoniam eodem modo res se habet quod attinet ad similitudinem inter Patrem et Filium, dicendum est, eos habere naturam specificè eandem numerice tamen diversam<sup>33)</sup>.

Ex hac brevi expositione doctrinae semiarianorum videmus eos quidem arctam unionem inter Filium et Patrem docere, tamen, unitatem numericam inter utrumque ignorasse saltem, professo non esse et propterea ut auctores doctrinae catholicae de SS. Trinitate minime considerari posse.

Patet eos neque verbum „ὁμοούσιος“ neque id, quod hoc verbo exprimitur, admisisse neque circuminsessionem docere.

*Lublina*

*Antonius Słomkowski.*

<sup>31)</sup> Ibid., n. 16, loc. cit., col. 432—433.

<sup>32)</sup> Ibid., n. 17, loc. cit., col. 433—436.

<sup>33)</sup> Cfr. G. R a s n e u r, L'homoioussiniasme dans ses rapports avec l'orthodoxie, in *Revue d'Histoire ecclésiastique*, t. IV, 1903, p. 201—202; 205.